



30th Latin Summer School

January 2023

Class 2 c

Tutors:

Tim Livingstone and Kim Harris

# Contents

Reading schedule .....	3
Monday .....	4
Cicero <i>Pro Caelio</i> – part 1 .....	4
Chapter 31 .....	4
Chapter 32 .....	4
Sallust <i>Bellum Catilinae</i> – part 1 .....	4
Chapter 25 .....	4
Cicero <i>Pro Caelio</i> – part 2 .....	5
Chapter 33 .....	5
Chapter 34 .....	5
Tuesday .....	6
Catullus – part 1 .....	6
V. ad Lesbiam .....	6
VII. ad Lesbiam .....	6
Cicero <i>Pro Caelio</i> – part 3 .....	6
Chapter 35 .....	6
Chapter 36 .....	7
Horace <i>Odes</i> – part 1 .....	7
1.3, Lines 1-20 .....	7
Wednesday .....	9
Horace <i>Odes</i> - part 2 .....	9
1.3, Lines 21-40 .....	9
Sallust <i>Bellum Catilinae</i> – part 2 .....	9
Chapter 16 .....	9
Catullus – part 2 .....	10
VIII. ad se ipsum .....	10
Thursday .....	11
Horace <i>Odes</i> – part 3 .....	11
2.3, Lines 5-16 .....	11
Cicero <i>In Catilinam I</i> .....	11
Chapters 1-3 .....	11
Sallust, <i>Bellum Catilinae</i> – part 2 .....	12
Chapter 5.1-8 .....	12
Cornelius Severus <i>Suasoriae</i> 6.26 (selections) .....	12
Eulogy to Cicero, Lines 1-15 .....	12
Catullus – part 3 .....	13
XLIX: Ad Ciceronem .....	13
Friday .....	14
Catullus – part 4 .....	14
L: Ad Licinium .....	14

## Reading schedule

Monday	session 1	Introduction to course Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 1	Chapters 31 & 32
	session 2	Sallust <i>Bellum Catilinae</i> – Part 1	Chapter 25
	session 4	Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 2	Chapters 33 & 34
Tuesday	session 1	Catullus 5 Catullus 7	Lines 1–13 Lines 1-12
	session 2	Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 3	Chapters 35 & 36
	session 4	Horace <i>Odes</i> 1.3 – Part 1	Lines 1-20
Wednesday	session 1	Horace <i>Odes</i> 1.3 – Part 2	Lines 21-40
	session 2	Sallust <i>Bellum Catilinae</i> – Part 2	Chapter 16
	session 4	Catullus 8	Lines 1–19
Thursday	session 1	Horace <i>Odes</i> 2.3	Lines 5-16
	session 2	Cicero <i>In Catilinam</i> Sallust <i>Bellum Catilinae</i> – Part 2	<i>In Cat.</i> Chapters 1-3 <i>Bell. Cat.</i> Chapter 5.1-8
	session 4	Cornelius Severus – eulogy to Cicero (extract of <i>Suas.</i> 6.26) Catullus 49	Lines 1-15 Lines 1-7
Friday	session 1	Catullus 50	Lines 1–21
	session 2	overflow & revision	

Friday note: There are no prescribed texts for Session 2 on Friday. This session is reserved for spill-over texts, addressing any remaining grammar questions, and extra activities if time allows.

## Monday

### **Cicero *Pro Caelio* – part 1**

#### Chapter 31

Horum duorum criminum video auctorem, video fontem, video certum nomen et caput. Auro opus fuit; sumpsit a Clodia, sumpsit sine teste, habuit quamdiu voluit. Maximum video signum cuiusdam egregiae familiaritatis. Necare eandem voluit; quaesivit venenum, sollicitavit quos potuit, paravit, horam locum constituit, attulit. Magnum rursus odium video cum crudelissimo discidio exstisset. Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili verum etiam nota; de qua ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa.

#### Chapter 32

Sed intellegis pro tua praestanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis. Quae si se aurum Caelio commodasse non dicit, si venenum ab hoc sibi paratum esse non arguit, petulanter facimus, si matrem familias secus quam matronarum sanctitas postulat nominamus. Sin ista muliere remota nec crimen ullum nec opes ad oppugnandum M. Caelium illis relinquuntur, quid est aliud quod nos patroni facere debeamus, nisi ut eos qui insectantur repellamus? Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro fratre volui dicere; semper hic erro. Nunc agam modice nec longius progrediar quam mea fides et causa ipsa coget: nec enim muliebris umquam inimicitias mihi gerendas putavi, praesertim cum ea quam omnes semper amicam omnium potius quam cuiusquam inimicam putaverunt.

### **Sallust *Bellum Catilinae* – part 1**

#### Chapter 25

Sed in eis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro [atque] liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis et Latinis docta, psallere [et] saltare elegantius, quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuria sunt. Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneret; lubido sic adensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscientia fuerat, luxuria atque

inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

## Cicero *Pro Caelio* – part 2

### Chapter 33

Sed tamen ex ipsa quaeram prius utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit, an remisse et leniter et urbane. Si illo austero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula qua ista delectatur sed illa horrida quam in statuis antiquis atque imaginibus videmus, qui obiurget mulierem et qui pro me loquatur ne mihi ista forte suscenseat. Exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis ac potissimum Caecus ille; minimum enim dolorem capiet qui istam non videbit. Qui profecto, si exstiterit, sic aget ac sic loquetur: 'Mulier, quid tibi cum Caelio, quid cum homine adulescentulo, quid cum alieno? Cur aut tam familiaris fuisti ut aurum commodares, aut tam inimica ut venenum timeres? Non patrem tuum videras, non patruum, non avum, non proavum, non abavum, non atavum audieras consules fuisse;

### Chapter 34

non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi ac fortissimi viri patriaeque amantissimi, qui simul ac pedem limine extulerat, omnis prope civis virtute, gloria, dignitate superabat? Cum ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses, cur tibi Caelius tam coniunctus fuit? cognatus, adfinis, viri tui familiaris? 5 Nihil eorum. Quid igitur fuit nisi quaedam temeritas ac libido? Nonne te, si nostrae imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam domesticae laudis in gloria muliebri esse admonebat, non virgo illa Vestalis Claudia quae patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno plebei de curru detrahi passa non est? 10 Cur te fraterna vitia potius quam bona paterna et avita et usque a nobis cum in viris tum etiam in feminis repetita moverunt? Ideone ego pacem Pyrrhi diremi ut tu amorum turpissimorum cotidie foedera ferires, ideo aquam adduxi ut ea tu inceste uterere, ideo viam munivi ut eam tu alienis viris comitata celebrares? ' 15

## Tuesday

### **Catullus – part 1**

#### V. ad Lesbiam

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,  
rumoresque senum severiorum omnes unius  
aestimemus assis!  
  
soles occidere et redire possunt:  
nobis cum semel occidit brevis lux, 5  
nox est perpetua una dormienda. da mi  
basia mille, deinde centum,  
dein mille altera, dein secunda centum, deinde usque  
altera mille, deinde centum.  
  
dein, cum milia multa fecerimus, 10  
conturbabimus illa, ne sciamus, aut ne quis  
malus invidere possit, cum tantum sciat  
esse basiorum.

#### VII. ad Lesbiam

Quaeris, quot mihi basiationes  
tuae, Lesbia, sint satis superque.  
quam magnus numerus Libyssae harenae  
lasarpiciferis iacet Cyrenis  
oraclum Iovis inter aestuosi 5  
et Batti veteris sacrum sepulcrum;  
aut quam sidera multa, cum tacet nox,  
furtivos hominum vident amores:  
tam te basia multa basiare  
vesano satis et super Catullo est, 10  
quae nec pernumerare curiosi  
possint nec mala fascinare lingua

### **Cicero *Pro Caelio* – part 3**

#### Chapter 35

Sed quid ego, iudices, ita gravem personam induxi ut verear ne se idem  
Appius repente convertat et Caelium accusare illa sua gravitate  
censoria? Sed video hoc posterius atque ita, iudices, ut vel

severissimis disceptatoribus M. Caeli vitam me probaturum esse  
confidam. Tu vero, mulier iam enim ipse tecum nulla persona       5  
introducta loquorosi ea quae facis, quae dicis, quae insimulas, quae  
moliris, quae arguis, probare cogitas, rationem tantae familiaritatis,  
tantae consuetudinis, tantae coniunctionis reddas atque exponas  
necessa est. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria,  
Baias, actas, convivia, comissiones, cantus, symphonias, navigia       10  
iactant, idemque significant nihil se te invita dicere. Quae tu quoniam  
mente nescio qua effrenata atque praecipiti in forum deferri  
iudiciumque voluisti, aut diluas oportet ac falsa esse doceas aut nihil  
neque criminis tuo neque testimonio credendum esse fateare.

### Chapter 36

Sin autem urbanius me agere mavis, sic agam tecum. Removebo illum  
senem durum ac paene agrestem; ex his igitur sumam aliquem ac  
potissimum minimum fratrem qui est in isto genere urbanissimus; qui  
te amat plurimum, qui propter nescio quam, credo, timiditatem et  
nocturnos quosdam inanis metus tecum semper pusio cum maiore  
sorore cubitabat. Eum putato tecum loqui: 'Quid tumultuaris, soror?  
quid insanis? Quid clamorem exorsa verbis parvam rem magnam  
facis? Vicinum adulescentulum aspexisti; candor huius te et proceritas,  
voltus oculique pepulerunt; saepius videre voluisti; fuisti non  
numquam in isdem hortis; vis nobilis mulier illum filium familias  
patre parco ac tenaci habere tuis copiis devinctum. Non potes;  
calcitat, respuit, repellit, non putat tua dona esse tanti. Confer te alio.  
Habes hortos ad Tiberim ac diligenter eo loco paratos quo omnis  
iuventus natandi causa venit; hinc licet condiciones cotidie legas; cur  
huic qui te spernit molesta es?

### Horace *Odes* – part 1

1.3, Lines 1-20

Sic te diva potens Cypri,  
sic fratres Helenae, lucida sidera,  
ventorumque regat pater  
obstrictis aliis praeter Iapyga,  
navis, quae tibi creditum       5

debes Vergilium, finibus Atticis  
reddas incolumem precor,  
et serves animae dimidium meae.  
illi robur et aes triplex  
circa pectus erat, qui fragilem truci                   10  
commisit pelago ratem  
primus, nec timuit praecipitem Africum  
decertantem Aquilonibus  
nec tristis Hyadas nec rabiem Noti,  
quo non arbiter Hadriae                                   15  
maior, tollere seu ponere vult freta.  
quem mortis timuit gradum,  
qui siccis oculis monstra natantia,  
qui vidit mare turbidum et  
infamis scopulos Acroceraunia?                       20

## Wednesday

### **Horace *Odes* - part 2**

1.3, Lines 21-40

neququam deus abscidit  
prudens Oceano dissociabili  
terras, si tamen impiae  
non tangenda rates transiliunt vada.  
audax omnia perpeti 25  
gens humana ruit per vetitum nefas.  
audax Iapeti genus  
ignem fraude mala gentibus intulit.  
post ignem aetheria domo  
subductum macies et nova febrium 30  
terris incubuit cohors,  
semotique prius tarda necessitas  
leti corripuit gradum.  
expertus vacuum Daedalus aera  
pennis non homini datis: 35  
perrupit Acheronta Herculeus labor.  
nil mortalibus ardui est:  
caelum ipsum petimus stultitia neque  
per nostrum patimur scelus  
iracunda Iovem ponere fulmina. 40

### **Sallust *Bellum Catilinae* – part 2**

Chapter 16

Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, inlexerat, multis modis mala facinora  
edocebat. 2 Ex illis testis signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula  
vilia habere, post ubi eorum famam atque pudorem 3 Si causa peccandi in praesens  
minus suppetebat, nihilo minus insontis sicuti sontis circumvenire, iugulare; scilicet, ne  
per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. 4  
His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens  
erat et quod plerique Sullani milites largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris  
memores, civile bellum exoptabant, opprimundae rei publicae consilium cepit. 5 In  
Italia nullus exercitus, Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi consulatum

petenti magna spes, senatus nihil sane intentus; tutae tranquillaeque res omnes, sed ea  
prorsus opportuna Catilinae.

## Catullus – part 2

### VIII. ad se ipsum

Miser Catulle, desinas ineptire,  
et quod vides perisse perditum ducas.  
fulsere quondam candidi tibi soles,  
cum ventitabas quo puella ducebat  
amata nobis quantum amabitur nulla. 5  
ibi illa multa cum iocosa fiebant,  
quae tu volebas nec puella nolebat,  
fulsere vere candidi tibi soles.  
nunc iam illa non vult: tu quoque  
impotens noli,  
nec quae fugit sectare, nec miser vive, 10  
sed obstinata mente perfer, obdura.  
vale puella, iam Catullus obdurat,  
nec te requiret nec rogabit invitam.  
at tu dolebis, cum rogaberis nulla.  
scelestia, vae te, quae tibi manet vita? 15  
quis nunc te adibit? cui videberis bella?  
quem nunc amabis? cuius esse diceris?  
quem basiabis? cui labella mordebis?  
at tu, Catulle, destinatus obdura.

## Thursday

### **Horace *Odes* – part 3**

2.3, Lines 5-16

seu maestus omni tempore vixeris, 5  
seu te in remoto gramine per dies  
festos reclinatum bearis  
interiore nota Falerni.  
quo pinus ingens albaque populus  
umbram hospitalem consociare amant 10  
ramis? quid obliquo laborat  
lympha fugax trepidare rivo?  
huc vina et unguenta et nimium brevis  
flores amoena ferre iube rosae,  
dum res et aetas et sororum 15  
fila trium patiuntur atra.

### **Cicero *In Catilinam I***

Chapters 1-3

1 Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? Patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consili ceperis quem nostrum ignorare

2 arbitraris? O tempora, o mores! Senatus haec intellegit, consul videt; hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consili particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem fortes viri satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitamus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te conferri pestem quam tu in

3 nos omnis iam diu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit: Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos

consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coercent. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave, non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

## Sallust, *Bellum Catilinae* – part 2

Chapter 5.1-8

5 1 L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. 2 Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. 3 Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae supra quam quoiquam credibile est. 4 Animus audax, subdolus, varius, quoius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adeptens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; 5 satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. 6 Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. 7 Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque eis artibus auxerat quas supra memoravi. 8 Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

## Cornelius Severus *Suasoriae* 6.26 (selections)

Eulogy to Cicero, Lines 1-15

oraque magnanimum spirantia paene virorum  
in rostris iacuere suis; sed enim abstulit omnis,  
tamquam sola foret, rapti Ciceronis imago.  
tunc redeunt animis ingentia consulis acta  
iurataeque manus deprensaque foedera noxae        5  
patriciumque nefas extinctum: poena Cethegi  
deiectusque redit votis Catilina nefandis.  
quid favor aut coetus, pleni quid honoribus anni  
profuerant? sacris exculta quid artibus aetas?  
abstulit una dies aevi decus, ictaque luctu        10  
conticuit Latiae tristis facundia linguae.  
unica sollicitis quondam tutela salusque,  
egregium semper patriae caput, ille senatus

vindex, ille fori, legum ritusque togaeque,  
publica vox saevis aeternum obmutuit armis.

15

### Catullus – part 3

XLIX: Ad Ciceronem

Disertissime Romuli nepotum,  
quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,  
quotque post aliis erunt in annis,  
gratias tibi maximas Catullus  
agit pessimus omnium poeta,               5  
tanto pessimus omnium poeta  
quanto tu optimus omnium patronus.

## Friday

### Catullus – part 4

L: Ad Licinium

Hesterno, Licini, die otiose  
multum lusimus in meis tabellis,  
ut convenerat esse delicatos.  
scribens versiculos uterque nostrum  
ludebat numero modo hoc modo illoc, 5  
reddens mutua per iocum atque vinum.  
atque illinc abii tuo Lepore  
incensus, Licini, facetiisque,  
ut nec me miserum cibus iuvaret  
nec somnus tegeret quiete ocellos, 10  
sed toto, indomitus furore, lecto  
versarer, cupiens videre lucem,  
ut tecum loquerer simulque ut essem.  
at defessa labore membra postquam  
semimortua lectulo iacebant, 15  
hoc, iucunde, tibi poema feci,  
ex quo perspiceres meum dolorem.  
nunc audax cave sis, precesque nostras  
oramus cave despicias, ocella,  
ne poenas Nemesis reposcat a te. 20  
est vemens dea: laedere hanc caveto.